



potest. episc., part. II, allegat. 21, n. 3. Vide Lucium nostrum v. SACERDOTIUM, SACERDOS, n. 150.

(4. Quæritur II quid dicendum de clerico peregrino, qui ordinationis suæ litteras amisit, aut illas barbaris patriam occupantibus, obtinere non potest? De his certum est, eos ad celebrationem missarum admitti posse, si legitimarum litterarum amissionem earumque tenorem, et sic etiam susceptos ordines rite probaverint per testes idoneos, famam, communem reputationem, et alia indicia his similia. Schmalzgrueber, loc. et n. cit.

(5. An vero admittendus sit ad celebranda divina qui neque indicis probare clericatum potest, paratus tamen est jurare, se hos vel illos ordines a suo episcopo legitime accepisse? Respondetur negative; patet ex cap. Inter 2, cit. tit. De cler. peregr. Ratio est quia iuramentum in supplementum probationis deferri hoc facile debet, nisi quando simplena probatio, vel præsumptio quædam stat pro aliquo; arg. cap. fin. De iurejur., sic Schmalzgrueber, ibidem. Cæterum Devoti, in Jur. eccles. univ., cit. tit. De cleric. peregr., § 3, in nota ad n. 7, tenet cum Giraldi, quod si testes desint, probari possit per iuramentum, quod tamen a sacerdote non sponte offeratur, sed ab episcopo exigatur.

(6. Quæres III « An episcopus sine causa possit expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi, sine litteris sui episcopi, qui non vult exercere ordines, sed tanquam advena ibi commorari, vel possit ei ingressum prohibere in ejus diœcesim?... Dicendum ut sine causa non possit etiam denegare aditum ad ejus diœcesim; et hæc est verior opinio, quæ probatur, primo ex jure gentium.. (quippe) apud omnes nationes habetur inhumanum sine aliqua speciali causa hospites et peregrinos non recipere; e contrario autem humanum et officiosum bene se habere erga peregrinos, nisi male facerent. » Ita in terminis M. Ant. Genuensis, Prax. archiep. cur. Neapol., cap. 48, n. 5. Hanc eandem sententiam sequitur Barbosa per hæc verba: « Potest dubitari an episcopus sine causa possit expellere alienum clericum commorantem in ejus diœcesi sine litteris sui episcopi, qui non vult exercere ordines, sed tanquam advena ibi commorari, vel posse ei ingressum prohibere in ejus diœcesim? in qua quæstione, negative, non data justa causa, respondet Marc. Ant. Genuensis. De offic. et potest. episc., allegat. 21, n. 3. »

(7. Quæritur IV, an episcopus sacerdotibus aliisque clericis diœcesis suæ litteras commendatitias negare possit, si istas peregrinaturi vel alio discessuri petant? Satis certum est apud DD. quod istas denegare possit clericis, qui beneficia residentiam ex-

suscipiendum fuerunt paulo ante data, quia episcopus approbans ad presbyterium, satis videtur approbare mores, etc., secus si magnum intervalum interfuit, quia eæ dimissoriae non approbant mores præsentis, ut si per decem annos antea fuis-

gentia obtinent, si ultra tempus a jure indultum peregre abire velint, et justa causa non subsistat, nec idoneum vicarium sibi substituant. Schmalzgrueber, cit. tit. De cleric. peregr., n. 2.

(8. De cæteris vero clericis, « cum communi dicendum, quod episcopi teneantur per se loquendo hujusmodi clericis dare litteras commendatitias, si has ex peregrinationis, aut etiam domicilii vel diœcesis mutandæ causa petant. Excipit Layman illos clericos, qui ob criminis conscientiam vel suspicionem, aut aliam similem causam volunt discedere; nam his, non commendatitias, sed testimoniales duntaxat debet concedere, quibus quidem testetur de susceptis ordinibus et carentia impedimenti canonici, quoad divinorum celebrationem; non vero de probitate vitæ et morum integritate. » Sic dictus Schmalzgrueber, loc. cit.

(9. Præstat hic etiam exscribere, quæ Barbosa habet hoc sane pacto: « Commendatitiæ litteræ... nec sunt denegandæ ab episcopo sacerdotibus et clericis, qui non habent beneficia in titulum residentiam requirentia, prout decisum refert Armendar., n. 36, et iterum in sacr. congregat. cardinalium negotiis episcoporum et regularium præposita, decretum fuit illos non posse revocare subditos ecclesiasticos alibi degentes, nec eos cogere, sed teneri litteras eis dare extra volentibus morari, si ratione beneficii non astringerentur in sua diœcesi residere; dicit ita in causa propria obtinuisse Campanil... Sic etiam in facti contingentia respondisse assertit Aloys. Rice., in Prax. for. eccles., p. 1, resolut. 524, ubi ampliatur ad clericum obtinentem simplex beneficium, qui etiam non poterit cogi residere in diœcesi, ubi illud habet, sed poterit ire quo vellet, et ita dicit in Rota decisum in una nullius beneficii 28 Martii 1604, coram illustrissimo domino Ludovico, nunc S. D. N. Gregorio XV, inter ejus impressas decis. 177. » Hæc Barbosa, De offic. et potest. episcop., cit. allegat. 21, n. 5 et seqq.

(10. Audiamus insuper Monacellum ita scribentem: « De honestate requiritur licentia (pro discedendo e diœcesi), non autem de necessitate. Nam litteræ hujusmodi commendatitiæ pro discessu a diœcesi, iis qui non habent officium, beneficium aut aliam obligationem personalem, servitium et residentiam exigentia, nunquam sunt denegandæ... Nisi tamen ageretur de ordinatis ob necessitatem Ecclesiæ, nam isti locum inconsulto episcopo deserere non possunt. » Concil. Trid., sess. xxiii, cap. 16, De reformat. Formul. legal. practic., tom. I, l. IV, formul. 6, n. 1, pag. 109.

(11. Atque ita censuit sac. congregatio Concilii die 21 Januarii 1574, cum hac tamen limitatione, nisi talis clericus sit ascriptus alicui Ecclesiæ, in qua se exerceat vel

sent data. Ultimo dico, talis non eget dictis litteris ad hoc, ut secrete possit admitti ad celebrandum..., quia tunc nullum est periculum, nisi ipsimet celebranti. »

habeat beneficium requirens personale servitium, aut aliter statuto loci ab immemorabili tempore prohibeatur. Idem censuit et sac. congregatio Episcoporum, in Senogallien. 19 Augusti 1579, in Civitate Ducali 6 Septembris 1593, in Ostun. 20 Januarii 1616, et eadem sac. congregatio Concilii in Terracinen. 19 Februarii 1628, et in Ariminen. cujus verba sunt ista: « Clericus, qui certo loco non est ascriptus, ab episcopo suo invitato retineri non potest, ne a sua diœcesi recedat, et alibi parochialem accipiat; ascriptus vero retineri potest invitatus, die 5 Decembris 1574. » Itaque, si sint ascripti servitio alicujus Ecclesiæ, non poterunt discedere absque licentia sui episcopi, juxta concil. Trident., dict. sess. xxiii, cap. 16, ubi decernitur quod tales non debent locum deserere, inconsulto episcopo, id est sine consensu episcopi, prout hæc verba exponuntur in cap. Admonet, De reuult., in cap. Cum et plantare, § In ecclesiis, De privil. Quod si deseruerint, sacrorum exercitium est eis interdicendum ad præscriptum sexti canonis concilii Chalcedonensis, qui refertur in cap. Neminem de, et a Tridentina synodo innovatur dict. cap. 16. Sic in terminis Pignatellus, Consult. canon., tom. III, consultat. 36, n. 3.

(12. Limita etiam, quando necessaria esset persona clerici absentis ad utilitatem alicujus Ecclesiæ in diœcesi. Quo casu assignari debet illi congrua sustentatio. Et ita sacra congregatio Episcoporum respondit episcopo Cotronensi die 19 Octobris 1592, et sæpe alibi. Tunc enim non solum potest episcopus ei denegare dimissorias, sed etiam illum cogere ad redeundum per sequestrationem patrimonii, ex eadem sacra congregatione Episcoporum locis allegatis. Pignatell., ibid., n. cit.

(13. Hinc, hujusmodi limitationibus salvis, licet clerici habeant beneficium simplex, possunt tamen ordinarii eos hortari, non cogere ad frequentandam ecclesiam et chorum, nisi aliunde essent obligati, puta ex fundatione vel consuetudine. Quamobrem sacra congregatio Episcoporum dictum episcopi, quod clerici deservirent omnibus missis cathedralis, suspendit in una Fundana die 18 Septembris 1648. Multoque minus prohibere potest eis sub pœna suspensionis ipso facto incurrenda, ne exeant e loco sine licentia: eadem S. congregatio 18 Novembris 1603. Idem Pignatell., l. c., n. 6.

(14. Quod etiam rescripsit eadem sacra congregatio episcopo Puteolano his verbis: « Si è trattato nella sacra congregazione delle istanze, che fanno molti sacerdoti di Pozzuolo, per non esser astretti da V. S. a servir nella chiesa cattedrale nella quale dicono di non aver beneficio alcuno, e di potere anco partirsi da Pozzuolo, e dalla diocesi, ove non hanno beneficio curato, nè di residenza: essendosi anche considerate le risposte di V. S. si è risoluto di scriverle,

che ella non può sforzare questi sacerdoti a servire contro a lor voglia in detta chiesa, e molto meno a portargli la coda, nè anche conviene di negar loro indistintamente la licenza di uscire dalla diocesi, quando non hanno obbligo alla residenza. E però sarà bene, che ella veda con buono modo di riacquistargli, e dar loro qualche soddisfazione, acciocchè non abbiano occasione di volersi partire, e procurando loro qualche emolumento, affinché servano in detta cattedrale, come ella desidera. E Iddio la conservi. Di Roma a 2 Ottobre del 1606. »

(15. Et iterum vicario capitulari Puteolano per hæc verba: « Si duole cotesto clero, che non ostante l'ordine di questa sacra congregazione dato in fin dell' anno 1606, sotto a 2 di Ottobre, che cotesto ordinario non abbia da sforzare quei sacerdoti o chierici, che non hanno alcun beneficio a servire alla chiesa cattedrale, nè convenga di negar loro la licenza di andar fuori di diocesi, quando non tengono obbligo di residenza; ora si pretende da voi di far l' uno, e l' altro. Onde questi eminentissimi miei signori mi hanno comandato di scrivervi, che senza innovar cosa alcuna in questo proposito, vi contentiate onninamente dell' esecuzione della lettera sudetta, Eseguita, e state sano. Di Roma a 2 di Ottobre del 1606. » Apud Pignatellum l. c., dict. n. 6.

(16. Quæres denique quid requiratur pro sic dicta excardinatione ex propria diœcesi, et incardinatione in aliam, sicque primum domicilium deserendo? Resp., quantum ad laicum spectat, « esse (quidem) in sua potestate de uno in alium episcopatum transferre domicilium, etiam non habita prioris episcopi licentia... Et hinc colligitur differentia inter clericum et laicum; nam clericus non potest ad aliam ecclesiam vel diœcesim transire, neque ab alieno est recipiendus sine litteris dimissoriis, seu formatis episcopi proprii: quod si locum, inconsulto episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. » Ita Fagnanus ad cap. Significavit De parochiis, etc., n. 2 et seqq.

Audiamus etiam Reiffenstuel ita disserentem: « An quis pro libito domicilium, consequenter etiam parochiam, mutare valeat? n. Quamvis laici id liberrime possint, ita ut absque ulla licentia, non tantum ab una parochia, sed etiam ab una diœcesi ad aliam migrare possint... Clerici tamen ab una diœcesi ad aliam absque licentia, et dimissoriis proprii ordinarii transire, vel ab alieno recipi non possunt... Quod si, inconsulto episcopo proprio, diœcesim deserant, eidem sacrorum exercitium interdicti debet, juxta concil. Trident., sess. xxiii, De reformat., cap. 16. » Ad titul. cit. De parochiis, etc., num. 21. Et sic communiter DD.